



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Constantini Imperatoris Oratio, Qvam Ad Sanctorvm, coetum perscripsit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

CONSTANTINI  
IMPERATORIS ORATIO,  
QVAM AD SANCTORVM  
cætum perscripsit.

*Proœmium Pasche mentionem facit, & quòd Deus cum  
variis viis omnium commodis consuluerat, ipsi, ab iis  
qui beneficiis eius affecti erant, insidiæ structe sunt.*

CAPVT I.



Alutaris dies festus Paschatis, qui est, velut clarissimum diei & solis lumen, primordium resurrectionis vniuersæ carnis, noua corporum iam olim miseris afflictatorum coagmentatio, pignus promissionis, & semita ad æternâ vitam deducens, nobis (charissimi ecclesiæ præfides, reliqui; omnes amici vosq; frequentes ac beatæ religiosorum multitudines, qui ipsum Deum religionis authorem, tum intimis animi cuiusque sensibus, tum expressis vocum præconiis secundum ea, quæ prophetarum oraculis prædicta sunt, sine intermissione celebratis) nobis, inquam, adest ad sanctè augusteque celebrandum. Tu natura omnium parens, quid vnquâ tale ad mundi vtilitatem contulisti? omnino verò quod, aut quale tuum est opificium? Siquidem qui est author omnium, etiam vt tu sis, author fuit. Iste quoque te ornauit: quippe naturæ decus est, vita ex naturæ regula instituta. Quæ autem contra naturam fiunt, efficiunt, vt nemo Deum omnium fabricatorem augustè decenterq; colat: quin potius existimet omnia non diuina prouidentia, sed fortuitu, temere, & inconsiderate regi. Et quanquam prophetæ (quibus certe fides adhiberi debet) diuini numinis afflatu istas res ita euenturas sigillatim prædixerunt, tamen iniquus de-

mon

mon impietatis amicus, omnibus, vt dicitur, viribus opibusque restitit: à quo, tum vt lux veritatis maleuola obtrectatione obscuraretur, tum errorum tenebræ animo ab hominum mentibus dispellerentur, magno studio laboratum est. Qui quidem illius conatus violentia & crudelitate non caruit: præsertim cum repentinum & improuifum plebeiorum hominum impetum, potentum consensus non solum adiuuaret, verumetiam ducem importunæ eorum se præberet amentia. Quare talis vitæ ratio, multis hominum ætatibus continuata, illis qui iisdem vixere temporibus, grauissima mala inuexit. verum non multo post, cum feruator magno cum splendore se hominibus ostendisset, iustitia post turbulenta cuiusque generis procellas apparuit, & omnia quæ prædicta erant à prophetis, cumulate expleta. Proinde vbi fuit sublimis ad patrios lares denuo sublatus, & orbem terrarum præclaris modestiæ & verecundiæ ornamentis illustrauerat, sacrosanctum quoddam virtutis templum æternum & immortale, ecclesiam dico, in terra sibi exædificauit. In quo quæ sunt Deo, patri suo augustissimo, decora, quæque sibi ipsi conuenientia, piè & religiose instituit. Sed quid postea insanorum gentilium nequitia molita est? Christi beneficia abijcere, & ecclesiam ad omnium salutem constitutam labefactare studebat illa quidem: at impia seditio iterum excitata, bella, pugnae, morositas, nimis exquisitus vitæ apparatus, diuitiarum amor, suam ipsorum euertit superstitionem: & quod maximè ad improbitatis naturam pertinet, interdum fallaci & fucata spe deliniuit, interdum perterrefecit metu: verum sicut recta ratio postulat, iaceat illa humi à virtute profligata, & poenitentia fracta, dissipataque succumbat. At nos iam ad ea quæ ad diuinum sermonem spectant attendamus.

*Alloquitur ecclesiam & auditores, vt agnoscant, ac emendent, si quid ab eo inter dicendum peccatum fuerit.*

## CAP. II.

**A**Vdi igitur nauclere, qui castimoniam & virginitati præses: tuq; ecclesia teneræ ac rudis ætatis nutrix, cui veritas curæ est, curæque est & clementia, ex cuius perenni fonte salutis riuus delabitur. Vos etiam, qui Deum

295      intc-

## CONSTANTINI ORATIO

integrè sincereq; colitis, atque illi propterea curæ estis, at-  
tentè bonaq; cum venia audite, animumq; non tam ad di-  
ctationis elegantiam, quàm ad eorum quæ dicuntur veritatè,  
non ad me dicentem, sed ad sacratissimam pietatem atten-  
dite. verum qui ex oratione fructus capi potest, cum dicētis  
animus non satis qui sit explorete perspectus videatur? Ac  
fortasse magna sunt, quæ aggredior, sed amorem erga Deum  
in mente mea insitum, causam audaciæ afferro. Ille enim pu-  
dori meo vim facit. Quare vos qui diuinorum mysterio-  
rum scientia cum primis imbuti estis, mihi adiutores adiu-  
go. vt si quid forte erroris in dicendo acciderit, vos me di-  
centem animis quodammodo sequentes sedulo corrigatis,  
nec summam quidem requiratis doctrinam, sed instituti po-  
tius fidem approbetis. Benignissimus etiam Dei patris, &  
filij eius afflatus mihi adsit ea dicēti, quæ præscripserit ipse,  
mentiq; iniecerit. Quod si quis vel artem oratoriam, vel a-  
liam quampiam scientiam aggressus, putet se absque Dei  
auxilio eius munus satis suis quasi numeris posse explere,  
tum ipse plane imperitus, tum opus, in quo elaboratur, im-  
perfectum deprehēditur. Quapropter diuinus afflatus his,  
qui res prosperè gerere cupiant, nec præ ignauia est repellen-  
dus, nec contemnendus præ negligentia. Nos ergo sedulo  
præcauentes, ne detineamus vos nimium diu, ad illud quod  
in hoc instituto caput est, aggrediamur.

*Quòd verbi pater Deus, idem & creaturarum opifex ex-  
istit, & quòd nullo modo res possent consistere, si di-  
uersæ essent earum causæ. CAP. III.*

**B**Onum ad quod referuntur omnia, quodq; est essentia  
æternus Deus, ortum non habet, & propterea nec prin-  
cipium. Deus verò omnium quæ oriuntur principium  
est. Qui autem deriuatur ab eo, cū eo denuò vnitate cohæ-  
ret, quippe disunctio coniunctioq;, quæ in eo cernitur, nō  
loci interuallo, sed intelligētīe acumine facta est. Nā quod  
genitum est, non aliquo paternorum viscerum cruciatu e-  
debatur, sicut ea scilicet, quæ nascuntur ex semine, sed diui-  
næ prouidētīe præscriptione seruatur, qui huic mundo sub-  
iecto sensibus, rebusque in eo fabricatis præsidet, in lucem  
prodiit. Atqui omnibus, quæ mūdi complexu continētur,  
vt sint,

vt sint, & viuant, inde causa ducta est. Inde anima, inde sensus omnis, inde ea instrumenta, quorū adiumento res à sensibus ostentatę plenę perspicuntur. At quorsum hæc spectat oratio? vt constet vnum esse omnium moderatorem, omniaq; illius solum dominatu teneri, siue quæ cælestia sunt corpora, siue quæ terrena sunt, siue quæ natura sunt, siue quæ alio instrumentorū genere efficiuntur. Quòd si moderatio istarum rerum, quæ sunt innumerabiles, non ad vnius, sed ad multorum arbitrium conferetur, fortes, elementorum distributiones, & ea quæ veteribus fabulis describuntur, vt inuidia & ambitio (quæ res viribus pro victoria inter se conflagunt) consentientem omnium concordiam disturbarent: quippe cum complures eam partem, quæ sigillatim cuiq; obuenit, varia ratione administrare contenderent.

Atque quòd mundus vniuersus semper vno & eodem modo se habet, nec temere consistit, nec casu fortuito ortus est, hanc rem maximè confirmat. Quòd si demus plures deos esse, quis rei cuiusque procreandæ authorem & architectum exquisite poterit cognoscere? Cui tandem preces & obsecrationes offeremus? primo ne an postremo?

Quem quæso colere instituum, vt non in reliquos impius videar? An fortasse cum aliqua res mihi ad victum necessaria desit, ei qui opem fert, gratiam habeam, qui autem aduersatur, illum insimulem. Quæ autem obtestor, à quo me putem, & calamitatis causam cognoscere, & eadem poenitus liberari? fac responsa nobis per oracula dari? ista tamen fieri non propria ac sua vi facultateque, sed ad Deum aliquem pertinere, quæ igitur misericordia? quæ Dei erga hominem prouidentia? nisi forte, qui sit inter deos paulo ad benignitatem propensior, in eum, qui nullū confert inter deos discrimen, beneuole animatus, auxilium etiam aliis inuitis ei afferre voluerit. At odiū, seditio, probra inde nascerentur: quandoquidē nec sua negocia quiete gerere possunt propter cōtentionem, nec rebus suis ac propriis cōtenti esse propter cupiditatem. Et ad extremū, omniū perturbatio sequeretur atq; confusio. At quid postea? constat plane cælestiū discordia res inferiores ac terrenas omnino labefactatas fore: adeo vt ordo, ac vicissitudo temporū, fructuum quoq; ex eorū varietate nascentiū cōmoditas è medio tolleretur.

Tolle-

## CONSTANTINI ORATIO

Tolleretur etiam dies, & requies quæ eam sequitur nocturna. verùm de his satis. Redeamus iterum ad eum sermonem, qui à nemine omnino possit refutari.

*Quanto in errore versentur, qui simulachra colunt.*

CAP. IIII.

**O**Mne quod principium habet, habet etiam & finem, principium quod in tempore existit, appellatur ortus. Quæ verò oriuntur, intereunt occiduntque omnia: formam autem temporis delet longinquitas. Qui igitur poterit fieri, ut qui mortali fatu eduntur, immortales existant? verum talis quædam opinio per animos imperitæ multitudinis peruasit, ut putet inter deos nuptias fieri, liberis operam dari. Quòd si qui procreati sunt, immortales sint, semperque de integro noui procreentur, genus illud extra modum propagari necesse est. Et cum semper sobolis fiat accessio, quod cælum, quæve terra tantum deorum, ut ita dicam, examen in lucem susceptum poterit capere? Quid porro dicemus de hominibus illis, qui fratrem & sororem cælestes nuptias contrahere volunt, idemque adulterij & intemperantiæ vitia in illis reprehendunt? dicam audacius, honores eos, & munera ab hominibus illis tributa, flagitiorum & libidinum turpitudine admista redundare. Iam vero, quis arte exquisita præditus statuarius, qui cum speciem quandam & figuram mente & cogitatione comprehendit, non perpolitum & artificiosum opus edat: idemque obliuione ex temporis interuallo interiecto obrepente, operi à se effecto blandiatur, idque colit, ut immortalem Deum, cum tamen facile fateatur seipsum, qui mortalis est, eius statuæ architectum & tanquam parentem fuisse. Quinetiam sepulchra & tumulos eorum, qui interitu deleri non possunt, ostendunt, & morte extinctos honoribus immortalibus colunt, dum ignorant illud, quod est re ipsa beatum & immortale, non egere veneratione ea, quæ à mortalibus tribui solet. Nam quod potest intelligentia solum perspici, & comprehendi mente, nec appetit formam, qua cognoscatur, nec figuram admittit, ut imaginem & effigiem. Verum ista omnia ad gratiam mortuorum referuntur. Dum enim vixerunt, homines erant, corporum compagibus inclusi.

*Quod*

*Quòd Christum Dei filium cuncta creauit, ac statum  
vitæ tempus singulis constituit.*

## CAP. V.

SEd quid verbis impuris inficio linguam, cum illius laudes, qui verè Deus est, prædicare instituo? primum igitur volo acerbitatem huius potationis, alia pura & liquida potione tanquam eluere: potio autem, quæ sincera est, ex perenni fonte virtutum à Deo, cuius laudes prædicamus proficiscentium, manat & funditur. Illud certe meum proprium munus duco, vt Christum tum recta viuendi institutione, tum gratiarum actione, quæ pro multis & maximis eius beneficiis ei debetur, celebrem. Hunc ergo affirmo huius vniuersitatis stabiluisse primordia, hominumque procreatione excogitasse: qui cum ista verbo constituisset, etiam eos, qui modo in lucem suscepti erant, confestim in locum quendam beatum, florentem, variorum fructuum vbertate onustum transtulisse: quos principio voluit scientiæ in bonis malisque rebus intermiscendis expertes esse. Tandem autem sedem animali rationis capaci aptam, hoc est in terra domicilium tribuisse, & iam tum illis, vtpote animantibus ratione & mente præditis, bonorum patefecisse malorumque cognitionem. Deinceps verò genus eorum vsque eo se dilatare præcepit, quoad spacium illud vniuersum, quod oceani ambitu circumscriptum, ab hominibus incolitur, penitus compleret. Itaque cum genus humanum ita creuisset, artes & scientiæ ad usum vitæ accommodatæ, inuentæ erant. Nec minus stirps & semen animalium cuiusque generis rationis expertium, vi quadam naturali eximiaque, quam Deus ad eam rem excogitasset, propagatum fuit. Animalibus autem circuribus tribuebatur mansuetudo & obsequium, quò homini facile parerent: agrestibus verò robur, velocitas, & naturalis, quædam seipsam è periculis eripiendi, conseruandique prouidentia. Quin hominibus mansuetorum omnium animalium dominatum commendauit Deus: contra agrestia & immania certamen quoddam instituit. post ista, volucrum genus creauit, numero prope infinitum, natura & specie diuersum, colorum varietate eximium, musico concentu naturaliter infito imbutum. Aliaque omnia quæ mundus  
intra

## CONSTANTINI ORATIO

Intra oras suas coercens cōtinet, vbi rite dispensasset, & his vniuersis certam definitamque vitæ legem descripsisset, hanc vniuersitatem suis quasi numeris & partibus expletam de core illustrauit.

*De fato & casu fortuito, & quod falsa sint, quæ de illis feruntur, probatio, tum ex legibus humanis, tum etiam rebus creatis, quæ non forte fortuna, sed ordine progrediuntur, vel ex eo certe conditoris præscriptum indicantes. CAP. VI.*

**V**erum plerunq; homines qui sunt paulo imprudentiores, huius rerum vniuersarum ornatus causam, naturam asserunt: nonnulli illorum fatum, aut casum fortuitum. Qui autem istarum rerum potestatem fato attribuunt, hi quando fatum nominant, quid sibi velit, ne intelligunt quidem, ac nomen proferunt, cum nullam illius actionem, neq; naturam, quæ illi voci subiecta sit, ostendunt. Quodnam enim erit ipsum fatum per se, si natura omnia procreet? aut quid putetur esse natura, si fati lex infringi & violari nequeat? Quinetiam legem quandam esse fatalem affirmare, perspicue indicat omnem illam legem opus esse illius, qui eam promulgauit. Quod si fatum, cum lex sit, Dei inuentum sit, omnia profecto Deo subiecta sunt, & eius virtutis nihil est expers: & fatum ex Deo esse, & idem eius voluntatem censeri approbamus, verum quomodo iustitia, temperantia, reliquæque virtutes cum fato coherere possunt? vnde ea quæ sunt his contraria, iniustitia, intemperantiaue, quod si prauitas libera voluntate, non ex fato nascitur, virtus quoque & recta vitæ morumque institutio. Peccata autem recte facta, quæ sunt bonæ rectæque voluntatis propria, cum aliter aliquando eueniant, num fortunæ aut fato ascribenda sunt? omnia etiam, quæ ex æquitate & ea virtute, quæ quiq; pro dignitate cuiq; tribuit, fiunt, quomodo fato fieri dixerimus? leges item, cohortationes ad virtutem, à vitiis auocationes, laus item & vituperatio, supplicia, omnia denique, quæ ad virtutis studium pelliciant, auertantq; à prauitate, quid est cur fortunæ & casus temeritate, non norma iustitiæ, quæ est Dei omnia prouidentia sua gubernatis propria, cōstare dicantur: nā propter variam  
homi-



hominū vitæ rationē, quod quisq; meretur, illud cuiq; acci-  
dit. Interdum pestis & seditio, modo annonæ charitas, mo-  
do abundantia sequitur: quæ quidem palam & aperte, voce  
prope emissa indicât, quid sit, quamobrem ipsa aliq; eius  
generis, vitæ nostræ importentur. Ipsa enim Dei essentia, re-  
ctâ hominum lætatur voluntate, impietatem omnium dete-  
statur: moderationem animi amplectitur, audaciam, & inso-  
lentiam plusquam belluinam odit. Quarum rerum demon-  
strationes, licet perspicuæ in primis existant, & ante ocu-  
los cuiusq; positæ, tamen quoties cogitationes nostras in-  
tra se conuocamus, & mentis acie velut in angustum addu-  
cta, causam earū nobiscum conquirimus, toties multo cla-  
rius & euidentius elucēt. Quare vitam modeste, & placide  
instituere oportet, nec animum supra id, quod natura pati-  
tur, efferre: sed illud cogitatione sedulo complecti, factorū  
nostrorum nobis semper adesse animaduersorem Deū. Ve-  
rum sic porro exquirendum est, verum ne sit, quod dicitur,  
omnium rerum rectionē in fortunæ & casus arbitrio sitam  
esse. Nunquid cælestium rerum & astrorum moderationē,  
nunquid terram, mare, ignem, ventos, aquâ, aërem, nunquid  
temporum commutationem, æstatis & hyemis vicissitudi-  
nes, nunquid ista omnia temere potius & fortuito euenisse,  
quàm ab aliquo architecto fabricata, credendum est? At  
nonnulli, qui mente plane capti sunt, affirmant plurimas ex  
illis rebus, ab hominibus ad ipsorum vsum vtilitatemq; ex-  
cogitatas esse. Cum enim natura diuitias cuiusque generis,  
quasi plena manu suppeditet, sit sane vt ista opinio in rebus  
terrenis & caducis aliquam habeat rationem. Nunquid igi-  
tur ea, quæ sunt immortalia, quæque nullo modo imitari  
possunt, hominum inuenta putanda sunt? Istorum enim  
& aliorum omnium de genere eodem, quæ à sensibus no-  
stris seiuncta, mente sola comprehenduntur, non vita ho-  
minum, quæ ex concreta materia constat, sed essentia Dei,  
quæ æterna est, intelligentiaq; solum percepta, procreatrix  
existit. Quin etiam ratio illa, quæ in rerum ordine cernitur,  
est opus certè prouidentia: nimirum vt dies solis orientis  
splendore illustrata eluceat, eoq; occidete, succedat nox, &  
cū successerit, propter astrorū multitudinē, nō omnino ob-  
scura relinquatur, quid de luna dicendū est, quæ cū sit è re-  
gione

gione

CONSTANTINI ORATIO

gione solis sita, luce completur maxima: cum autē proximē accedat, tenuissima? Ista nonne perspicacē Dei sapientiā, solertiamque declarant. Radiorum solis oportunitas, quæ plurimum valet ad fructuum maturitatem: ventorum flatus, qui ad animi salubritatem multum faciunt, imbrium refrigeratio, & apta omnium rerum compages, qua quæque accurata ratione, & modo dispensantur, perpetuus ille ordo ad eundem locum recurrens vnā cum opportunis ratisque planetarum controuersionibus, quid aliud indicant, quam testatam & illustrem Dei præscriptionem, & perfectū quendam stellarum cursum, legi diuinæ obtemperantem? Altitudines etiam montium, vallium concaui recessus, camporum latè patentium planities, nunquid sine Dei providentia constare videntur? Quæ res non ad spectandum solum ornatae existunt, sed etiam ad vsum iucundæ. Aquæ verò & terræ dimensiones, diuortiaque; fluuiorum interuallis distincta, quæ tum ad agriculturam, tum ad exterarum rerum vitæ necessariorum inuentionem plurimum valent, quid est, cur exquisitam & immensam Dei providentiam non euidenter ostendant? Quid quod montes aquam continent, quam cum humilis & æquata planities exceperit, eiusque irrigatione terram refecerit, ad vbertatem, quod reliquum est illius, in mare præcipitat, mare autem mandat oceano: & adhuc tamen ista omnia casu & fortuito fieri dicere non dubitamus, cum ne demonstrare quidem libeat, qua spe formæ illud, quod casu fieri dicitur, exprimamus: quippe cū nihil habeat essentiæ, quod vel intelligentia, vel sensu percipi possit, sed solum est inanis quidam nominis commentitij strepitus, quo aures vndique circumsonent.

*Ex iis quæ intellectu comprehendere nequeunt, æstimandam esse creatoris sapientiam, eumque, & non casum temerarium, rerum causam existere. CAP. VII.*

**E**ST enim vox ἀυτόματον hominum temere & parum considerate sentientium, & ne suam quidem comprehendentium sententiam: sed propter imbecillitatem comprehensionis existimantiū ea sine ratione administrari, quorum causam ipsi explanare nequeunt. Sunt omnino quæ-

quædam res, quarum veritatis certa compræhensio in profundo demersa iacet: quæ quidem sunt admirabilem planè naturam affecutæ: Cuius generis est vis illa aquarum calore tepescentium. Causam vero tanti caloris, nemo facile explicare poterit. Est profecto mirabile, illud quod igneum est, cum aqua frigida vndique circumfundatur, non inlitum & inclusum calorem amittere. Videntur sane id genus res, & in vniuerso orbe perraræ ad inueniendum, & in exiguum numerum ad recensendum redactæ, quo quemadmodum mihi persuadeo, diuinæ prouidentia vis ab hominibus facilius possit intelligi: quæ duas naturas maximè contrarias ex vna eademq; tanquam radice elici exprimiq; constituit. Quanquam porro permulta sunt & numero fere infinita, quæ ad hominum solatium oblectationemq; à Deo opt. max. tribuuntur: fructus tamen oleæ vitisque imprimis. Altera enim ad animum reficiendum exhilarandumq; vim habet, altera præterquam, ad corporum vsum valet, ad curati- onem præterea est accommodata. plurimum item habet admirationis iugis & continuus fluuiorum cursus, qui noctu & interdiu fluit, quiq; speciem præ se fert aternæ vitæ perpetuæque. Noctis item successio eiusdem momenti est & ponderis.

*Quod ea quæ ad vsus necessarios conducunt, abunde mortalibus Deus suppeditat: contra, quæ ad voluptatem faciunt parcus, vtrumque videlicet accommodate ad fructum ex illis percipiendum dispensans.*

## CAP. VIII.

**H**AEC omnia à nobis dicta sint, vti pro certo cõstet, nihil temere, nihil incõsulto fieri, sed cõsilio & prouidentia Dei omnia, qui quidè & auri, & argenti, & æris, & reliquorum denique metallorum genus produxit, ea quidem copia, quæ ad vitam satis esset. Atque illa quorum multitudo & varius vsus existeret, affatim suppeditari mandauit: alia vero, quæ ad hominum delectationem & delicias solum spectarent, sicut splendore magnifica, ita numero pauca esse voluit, quò nec parce nimis, nec nimis large suppetere viderentur. Quod si eadem abundantia ipsarum rerum, quæ ad ornatum fabricata sunt, fuisset concessa, illi qui metallis

R. r      è terrâ

## CONSTANTINI ORATIO

è terra excidendis dant operam, vsu illarum rerum, quæ ad agriculturâ, & ad extruendas ædes, & ad naues fabricandas aptæ sunt, vt ferri & aris propter nimiam superiorum rerum cupiditatem, neglecto, magnum harum numerum colligere pro nihilo putarent, & ad eas res comparandas, quæ ad delicias & inanem diuitiarum affluentiam pertinent omni cura & cogitatione incumberent, Quamobrem aurum & argentum elicere, plus ferunt habere, & difficultatis & laboris, quam cætera metalla omnia, vt magnitudini cupiditatis laboris magnitudo opponeretur. Quot etiam alia diuinæ prouidentiae opera licet enumerare, quæ in omnibus rebus, quas nobis tam copiose largita est, cernuntur: quibus quidem humanam vitam, tum ad modestiam, aliasque virtutes omnes euidenter impellit, tum à fordida, importunaque auaritia auocat? Quorum vniuersorum rationem, causamque peruestigare, maius ac difficilius quiddam est, quam quod possit consequi & efficere humana mens. Quomodo etenim quisquam ipsam veritatem accurate assequi, aut qua ratione caduci & imbecilli animantis mens, illam sempiternam ac synceram Dei voluntatem cogitatione complecti poterit?

*De Philosophis, qui nihil non scire cum voluerint, tum opinionibus lapsi erant, tum propter Platonis dogmata periculis obnoxij.*

### C A P. I X.

**Q**Vapropter res, quas & viribus nostris præstare valeamus, & nostræ naturæ cõueniant, moliri oportet. Probabilitas enim, quæ in disceptationibus versari solet, magnam partem nostri à rerum veritate abducit, quod non paucis philosophis, qui tum in differendi subtilitate, tum in rerum natura indaganda magnas nugas consectetur, profecto contingit. Quoties enim, si forte rerum conquisitarum magnitudo eorum captum superet, variis quibusdam & argutis dicendi rationibus ipsum verum obscurant? Itaque illis accidit, vt & sibi pugnantia opinentur, & decretis digladiantur inter se, idque cum se sapientes haberi volunt, vnde popul-

pulorum feditiones, potentumq; acerba in eos iudicia, quidum patrium morem labefactari putent, suum sibi ipsorum non raro inde parent exilium. Socrates enim differendi scientia elatus, cum rationes valentiores, infirmiores reddere, & in singulis rebus, contradictionis formulis cauillari conaretur, tribuum ac ciuium suorum inuidia interfectus est, Quinetiam Pythagoras, qui modestiam admodum exercere, & silentium egregie præter cæteros amplecti præ se ferebat, deprehensus est falso e mentitus esse, Quæ enim iam olim à prophetis prædicata fuissent, tanquam sibi, dum in Aegypto versabatur, essent separatim à Deo patefacta Italis tradidit. Plato ipse, qui præter cæteros erat animo mansuetus & lenis, quiq; primus hominum mentes abduxit, à sensibus, & ad res sub intelligentiam cadentes, quæ semper vno eodemq; modo se habent, aciem suam intendere alluescit, sublimia denique suspicere edocuit, primum Deum, idque recte, naturæ præfecit essentiæ: secundum huic subiecit, & duas essentias numero distinxit, cum eadem esset vtriusque perfectio, & secundi dei essentia, ex primi essentia profecta. Ipse est summus scilicet opifex & moderator omnium. Qui verò proxime & secundum illum, eius præceptis inseruit, ad eum causam omnium rerum condendarum transfert. Sit igitur vnus, sicut recta ratio exquisitaque postulat, qui omnium curam gerat, iisdemque provideat: sitque Deus sermo, qui omnia ordine dispenset, sermo ipse cum Deus sit, est ipse Dei filius. Quod tandem nomen potest ei quis imponere, præter filij nomen, quin errauerit maxime? Nam qui est omnium pater, etiam proprii sermonis pater, merito existimari debet. Hactenus Plato recte prudenterque sensisse videtur. Verum in illis quæ sequuntur, à veritate per errorem deflexit, dum deorum inducebat multitudinem, & singulis singulas formas adiciebat, quæ plane causa exstitit, vt homines imperiti in maiorem errorem delaberentur: qui quidem propterea quod Dei altissimi providentiam minimè perspiciebant, imagines hominum, aliorumque animalium specie ab ipsis formatas coluerunt. Contingit autem maximam quandam, & maxima laude dignam naturam ac disciplinam, eiusmodi erroribus permistam, impura & tetra labe contaminati:

## CONSTANTINI ORATIO

Sed idem ipse Plato se quodammodo redarguens, videtur mihi sermoni correctionem adhibuisse: cum spiritum Dei, animum esse rationis capacem perspicue demonstraret, omniaq; in duo dispertiret genera, alterum mente comprehensum, alterum sensu: quod quidem ex corporis coagmentatione constat. Atque illud sub intelligentiam cadere, hoc cum sensu cohaerescens, totum esse opinabile. Quare illud spiritus sancti particeps, utpote ab omni concretione & materia segregatum, vitam perpetuam & sempiternam obtinere: hoc autem sensibus subiectum, aeternae vitae expertus esse, quippe quae eadem ratione denuo dissoluitur, qua coagmentatum fuit. Quae verò deinceps tradit, habent planè admirationem: nempe illis qui integrè inuiolateque vitam traduxerint (animos nimirum piorum & bonorum virorum intelligit) postquam è corporis custodia emigrauerunt, domicilia in pulcherrimis caeli locis tanquam consecrata esse. Istud sanè non modo permultum admirationis, sed utilitatis etiam non minus continet. Quis enim est qui huic sermoni fidem habens, hancq; expectans foelicitatem, vitam non optime instituire, non iustitiam & temperantiam colere, non prauitatem sedulo vitare voluerit? Istis etiam apte & apposite adiunxit: improborum animos acherontis & pyriphlegethontis fluctibus, non aliter atque merces naue fracta delatos oberrare.

*De iis quibus despicatui sunt, non solum scripturae  
sed philosophorum quoque placita.*

### CAP. X.

**S**Vnt tamen nonnulli eatenus acie mentis perstricti, ut cum haec ipsa legant, non curent, nec metuant, sed contemnant, atque irrideant, non aliter ac si fabulas quasdam commentitias audirent. At varietatem dicendi & elegantiam laudant illi quidem, sed disciplinae detestantur severitatem, poetarumq; commentis fidem adiungunt, atq; adeo totam Graeciam, totam Barbariam, inanibus & falsis praconiis celebrant. Quod autem ad poetas attinet, illi asserunt homines, deorum filios, post mortem animos iudicare, iudicia eorum & tribunalia laudibus efferre, mortuis praeficere arbitros, quinetiam pugnas deorum canere: Iura quaedam  
inter

inter eos esse bellica narrare, fata eorum prædicare non desinunt: & ex illis quosdam natura acerbos, alios ab hominũ curatione alienos, nonnullos difficiles ac morosos esse affirmant, alios suorum liberorũ cædes lamentantes introducunt. adeo vt ne charissimis quidem, nedum alienis, satis possint afferre præsidij. Inferunt item illos humanis perturbationibus agitados: eorum prælia, vulnera, gaudium, luctũ decantant. Quæ cum dicant, digni videri volunt, quibus habeatur fides. Quòd si vt aiunt diuino instinctu pulsati, poeticam exercent, illis credendum obtemperandumque videtur, in his præsertim rebus, de quibus diuino quasi spiritu afflati differunt: deorum item & dæmonum calamitates memorant, quæ planè variam variarum rerum veritatem videntur attingere. At dixerit aliquis poetis liberum esse mētiri. Est enim poeticæ proprium, animos audientium lenociniis delinire: veritatis autem, vt quæ dicuntur, non aliter se habeant, quàm dicuntur. Sit etiam hoc poeticæ propriũ, veritatis aliquantum interdum sibi furripere: verũ qui mendacia dicunt, non sine causa illa quidem dicunt, aut enim quæstus & vtilitatis gratia, aut improbi cuiusdam facinoris sibi conscij, propter periculum, quod à legibus ipsis impendet, veritatem occultant. Nam fieri potest, mea quidẽ sententia, vt qui de optima natura nihil, præterquam quod veritas postulet dicere aggrediatur, tum à mentiendo sese, tum ab impie aliquid agendo contineant. Atqui si quis vita felici prosperaq; indignus existat, sibi que conscius sit, se viuendi rationem sceleratam, & temerariam traduxisse, redeat in viam, & ad diuinum numen respiciat, vt oculis mentis illustratus, à deprauata illa vitæ consuetudine, quam dudum secutus sit sese penitus auocet. Quinetiam optabile est, si qui paulo prouectiores sint, etiam tum sapientiam assequantur. Nobis verò nulla doctrina ex solis hominũ ingenij profecta aliquando profuit: Dei autem dona sunt illa omnia, quæ in hominum moribus & institutis apud sapientes probantur. Habeo equidem, imo tanquam contra venenata tela, quæ mihi diabolus ex aduerso parat, non imbecille scutum oppono, scientiam earum rerum, quæ Deo gratæ sunt acceptæque. Hæc igitur commode ad eum sermonem, qui à me institutus est, delegi, quo omnium patrem

## CONSTANTINI ORATIO

laudibus extollerem, illo ipso opem hinc pio proposito, quod suscepimus, ferente. Tu iam Christe, seruator omnium, sermonem de tua virtute susceptum exorna, modumque graniter & præclare tuas laudes prædicandi præscribe, nemo voces verbaque eleganti artificio expolita, se auditurum existimet. Est enim mihi explorate cognitum, effluentem, & ad voluptatem factam: quodam modo orationem, prudentum auribus non parum molestiæ allaturam, cum qui dicunt, plausum potius querere, quam sapienter de rebus propositis disputare contendant. Homines quidam amentes impiique, aiunt, Christum maleficiorum reum, iudicio condemnatum fuisse, & eum qui animantibus author vitæ est, vita priuatum. Nec certè mirum hoc inter eos dici, qui cum semel pietatis fines transierunt, nec metuunt quicquam, nec suam ipsorum improbitatem occultare instituunt. Illud etiam omnem stultitiam longe superat, videri sibi satis persuasum esse, Deum immortalem hominis violentia compulsam, non sua sola inductum benignitate & clementia, passum fuisse, nec secum cogitare, Dei magnanimitatem & tollerantiam, nullo modo vel conuicio euertere, vel contumelia à sua grauitate naturaliter sibi insita depelli posse: sed semper eorum immanitatem, qui ipsam inuadunt, ratione, & excelso animi robore infringere, & à se profus arcerere, Dei enim clementia secum statuerat, tum iniustitiam delere penitus, tum modestiam & æquitatem extollere. Quapropter: Christus sapientissimis hominibus in vnum conuocatis disciplinam præclarissimam, vitæque utilissimam tradidit, ut qui boni & felices esse vellent, eius providentiam in rebus præclare dispensandis sita, admiraretur & suspiceret. Quo sane quid potest præstabilius à quoquam, aut maius bonum commemorari, quam Deum iustitiæ administrationi præesse, eosque qui ipsius doctrina & institutione digni sunt, similes sibi efficere, ut bonitate tandem in omnes propagata, hominibus in perpetuum adsit felicitas? Hæc est illustris plane victoria, hoc verum imperium, hoc opus maximum, & vitæ maximè consentaneum, ut vniuersus populus moderate, modesteque se gerat. Te igitur Deus seruator omnium, collaudantes, ista victoria trophæa tibi offerimus. Tu verò, ô improba & execrabilis



bilis blasphemia (quæ mendaciis efferri, rumoribus & acclamationibus niti soles) tu inquam iuuenes in fraudem illicis, adolescentulos & viros, qui moribus paulò rudioribus præditi sunt, blanda persuasione delinis, eosque à veri Dei religione abducis, & statuas effingis, confruisque, quibus preces & venerationem impertiant: vt ita per fallaciam decepti, sui ipsorum inscitæ mercedem recipiant: Christum enim Deum, Dei que filium, omnium bonorum authorem in crimen vocare non dubitant. An non à modestissimis prudentissimisque gentibus ac populis hic Deus merito colitur, qui omnem vim, virtutemque assecutus, inque suo ac proprio voluntatis proposito perseverans, nihil de clementia sibi insita imminuerit? Discedite ergo impii, (libera enim vobis facultas est, vos ipsos, propter peccandi impunitatem, ad hostiarum cædes conferendi, conuiuiaque & festa, & ebrietates consecrandi,) discedite inquam, & religionem specie simulata colite, conferte vosmet ad voluptatem & intemperantiam explendam: victimas immolate per fucum & fallaciam, vestris denique ipsorum libidinibus inferuite. Nihil enim quod bonum est animo tenetis, ne primum quidem præceptum Dei optimi maximi, qui & hominum generi normam viuendi præscribit, & vitam eorum gubernandi filio concedit potestatem, vt qui recte moderateque vitam præsentem instituerint, ex filij sui sententia ac iudicio, altera vita beata & felici potiuntur.

*De Domini in carne aduentu, quis &  
quas ob res extiterit.*

CAPVT XI.

**A**Tque ipse equidem Dei decretum de hominum vita instituenda fancitum, non ignoratione, vt multi, neque cõiectura nixus, persequi aggressus sum. At vt ad propositum redeamus, dixerit forsitan quispiam, vnde filij appellatio, quis eius gignendi modus? Siquidem solus vnus Deus est, idemque ab omni admittione seiunctus.

R r 4

Verum

## CONSTANTINI ORATIO

Verum intelligendum est, duplicem esse gignendi rationē, alteram ex partu, quę satis nota est, alteram ex causa sempiterna, cuius rationem Dei perspicit prudentia, eademq; hominibus illi charis suppetit. Sapiens enim dispensationis, quę in rebus vniuersis cernitur causam cognoscet. Cum igitur nihil sine causa existat, causam res ipsas antegredi necesse est. Ac cum mundus sit, & quę in eo continentur, etiam existant, cumq; eorum conseruatio constet, fieri non potest, quin is qui eadem conseruat, ante necessariò exstiterit: adeo vt & Christus conseruationis author sit, & conseruatio ipsa, vt res sint, efficiat. Sicut pater filij causa est, sic filius ex causa illa genitus, quem quidem ante omnia extitisse, satis est iam demonstratum. At quomodo ad homines in terram descendit? hoc plane erat ab illo sponte propterea institutum, quia (sicut prophete antea prædixerant) generatim omnium curam habebat. Nam necesse est opifici, opera sua curę esse. Cū autem esset in mundo corpus suscipiturus, inq; terra (istud enim humanę salutis poscebat necessitas) non paruo temporis spatio commoraturus, alienam quandam à communi hominum natura nascendi rationem sibi excogitauit. Nam absque nuptiis est facta conceptio, castę virginis partus, & Dei mater virgo, æternę naturę iam principium in tempore sumptum, essentia, quę mente sola percipitur, à sensibus compræhensa, & splendor ille, qui corporis expers fuit, cum materia permixtus. Cætera etiam, quę in hoc mirabili viso extiterunt, sunt iis consentanea, quę quidem insignis illa columba, ex arca Noe euolans, inque virginis sinu tandem confidens, præsignificauit. Alia præterea eiusdem generis, quę hymenæum illum incompræhensibilem, omni castitate integriorem, ipsaq; continentia præstabiliorem sequebantur, sapientia Dei ab ipsis incunabulis admirabili quadam dispensatione effecit. Eum etiam Iordanis fluuius, qui lauacrum baptismatis ei largitus fuerat, reuerenter coluit. Huc accessit regalis vinctio, quę est cum omnium mente quasi cognatione coniuncta. Doctrina item & virtus, quę res admirabiles obiit, quęque morbos curauit insanabiles. Earum verò rerum, quas homines ab eo precibus contendebant, celeris & parata expeditio, omnino vniuersa eius vita ad hominum vtilitatem relata,

relata. Disciplinam porro tradidit, quæ non prudentia im-  
buit, sed sapientia discipulos: quò non virtutes illas, quæ  
ciuiles dicuntur, sed vias, quæ recta ad eum mundum, quem  
sola percipit intelligentia deducunt, perdiscerent: illudque  
rerum genus, quod semper vno eodemque modo se habet, at-  
tenta animi cogitatione peruestigare laborarét, & diuinam  
summæ mentis notionem mente assiduè recolerent. Iam ve-  
rò beneficia, non mediocria illa quidem, nobis delata, pro  
cæcitate visus, pro virium defectione, bona corporis habi-  
tudo, pro morte, ad vitam denuo restitutio, prætereo copio-  
sam illam rerum ad victum necessariarum in solitudine sup-  
peditationem, variam in paucis esculentis ingenti multitu-  
dini ad longum temporis spacium affluentiam.

*De iis qui mysterium non intellexerunt, & quòd vo-  
lentes illud ignorarunt, tum quanta eos expectent,  
qui id cognouerunt, premia, illos in primis qui pro-  
pter confessionem, vitam martyrio consummarunt.*

## CAPVT XII.

**H**anc tibi gratiarum actioné pro virili offerimus Chri-  
ste, Deus & seruator, summi patris summa prouiden-  
tia, qui & è malis nos eximis, & doctrina instruis lon-  
gè sanctissima, neque ista dico, vt te laudem, sed vt gratias  
agam. Quis enim mortalium te satis pro dignitate prædica-  
re poterit? Nam constat te ex nihilo res, quæ sunt, procre-  
asse, te lucem illis attulisse, te confusam elementorù molem  
ordine disposuisse, & modo, tuam singularem clementiam  
effecisse, vt homines qui probo sint & liberali ingenio, vi-  
tam beatam studiose consecretentur, videantque diligenter,  
vt cum rerum plane bonarum quasi mercaturam ipsi exer-  
ceant, de sua sapientia, & prospera fortuna aliquid imper-  
tiant quàm plurimis, intemperantiaque liberati, benignita-  
tisque facti participes, sempiternum virtutis fructum perci-  
pian, commiserationem statuam ante oculos, fidei promif-  
sum pro certo expectent, verecundiam amplectantur, & vir-  
tutem cuiusque generis, quam communis hominum vita &  
consuetudo antehac ei, qui omnium suscipit prouidentiam,  
attribuit. Nemo enim satis idoneus repertus est medicus,

R r 5 qui

## CONSTANTINI ORATIO

qui illis tam ingentibus malis, illique iniustitiæ, quæ illo tempore in hominum vita regnabat, medicari potuerit, verum providentiæ etiam ad has res suam vim extendens, omnia quæ erant contumeliæ & intemperantiæ prauitate disturbata, in ordinem facillime redegit, idque non ex occulto & latenter, sed palam certe & aperte præstitit, neque ei obscurum erat, quosdam homines esse, qui prudentiæ & mentis acie suas ipsorum vires satis accurate possent considerare, alios vero utpote animantium rationis expertium naturam adumbrantes, magis ad sensuum subsidia, propterea quod in promptu sunt, se transferre. Nec quisquam dubitet, siue virtutis studiosus ille sit, siue improbus, quin Deus vitam beatam, eamque admirabilem curationem sub aspectu subiecerit, cum hiis, qui vita excessissent vitam secundo restitueret, & sensibus orbatos, denuo integrè sentire iuberet, Mare etiam solidum reddidisse, ex tempestate effecisse tranquillitatem, & ad extremum ubi opera miranda edidisset, & homines ex infidelitate ad constantem fidem reuocasset, in cælos ascendisse, cuius tandem opus putandum est, nisi Dei & potentiæ certe longe excellentissimæ? Quinetiam tempus illud passioni destinatum, spectaculis valde admirandis non caruit, cum nocturna caligo diurnæ luci offusa, solem obscuraret. Nam populus vniuersus in omnibus locis magnopere extimuit, ne iam rerum omnium exitus venisset, & chaos, sicut ante iacta mundi fundamenta, iterum ubique peruaderet. Causa verò tanti mali, & ecquid sceleris esset ab hominibus contra Dei numen admissum, vsque eò sedulo quærebatur, quoad Deus, impiorum contumeliam contra se admissam præ animi sui magnitudine pœnitens contemnens, benigne cælum omne siderum illustrasset multitudine, & ad pristinum splendorem reduxisset. Itaque orbis terræ aspectus, quantumuis tristis, & horridus, rursus ad suam quasi hilaritatem restitutus est. At dixerit aliquis (cui volupe est blasphemias loqui) Deum potuisse, liberam hominum voluntatem mitiorem, integrioremque effecisse. Quæ melior via, quod institutum plus habebat virium ad malorum animos mansuefaciendos, quam ut Deus ipse præsens illos compellaret? An non ille hic coram, oculis hominum conspectus, modestam viuendi

*Lazarus  
ceci.*

uendi rationem docuit? Quod si Dei præsentis præceptio nihil profuerit, quid absentis, & hominum minimè iam ferientes aures prodesse potuisset? Quid, quæso, doctrinæ illius sanctissimæ impedimento fuit? hominum planè peruersitas. Nam cum ea, quæ nobis præclarè & vtiliter præcepta sunt, in odium rapimus, tum pacatus mentis nostræ status, & moderatio labefactatur. Quid, quod illis pergratum videbatur, præceptiones contemnere, & legi promulgatæ aures agrè & cum fastidio admouere? Quod si eam non spreuissent præincuria, præmia digna, sua in audiendo attentione, tum in præsentis, tum in futura vita, quæ est verè vita putanda, accepissent. Merces enim Deo obsequendi, est immortalis & æterna vita, quam plane, qui Deum norint, & vitam suam eum studioso imitando traducant, eamque tanquam perpetuum exemplar his, qui in hoc vitæ stadio concertare studeant, proponant, possint quodam modo vendicare. Doctrina vero propterea sapientibus tradita est, vt quod illi percipiant, hoc à suis, studio & diligentia conferuetur, pura autem anima veraxque est illa quidem, in qua inest, firma præcepti diuini custodia, ex qua per inuiolatam fidem, & sinceram erga Deum pietatem nascitur mortis contemptio. Seculi etiam huius procellis talis anima se strenue opponit, & in pugna, diuina virtute, cui nemo potest resistere, munita, fertur ad martyrium, quæ cum grauissimos timores magnanimitate deuicerit, corona ab illo qui fortiter ipse martyrium sustinuerit donatur, nec tamen vlla ex parte insolenter se effert. Nouit enim credo pro certo istud à Deo solo tributum, nempe vt possit præcepta diuina, tum alacri animo suscipere, tum studiose exequi. Hanc vitæ ratione sequitur memoria perpetua, æterna gloria, idque sane meritissimo. Siquidem cum martyris vita, & modeste ac pie instituta sit, & mandatorum Dei memor, mors etiam plena magnanimitatis, plenaque generose mentis existit. Postea igitur hymni, psalmi, præconia, & laudes ad honorem illius decorandum, qui omnium contemplator est, decantantur. Ac tali eucharistiæ sacrificium ab hominibus peragitur, vacuum à sanguine, vacuum ab omni violentia, Neque thuris odor desideratur, neque ignis incensus: sed puri luminis tantum, quantum sat est, ad mentes eorum, qui

## CONSTANTINI ORATIO

qui preces faciunt, illuminandas suppeditandum. Modestissima etiam multorum conuiuia, tum ad egentes misericorditer & benigne subleuandos, dum ad eos iuuandos, qui patria exciderunt, instituta, quæ certe si quis absurda putet, non sentit ille quidē sicut diuinissimæ sanctissimæq; disciplinæ regula postulat.

*Quòd partium rerum creatarum, necessaria sit  
differentia. CAP. XIII.*

**I**AM verò nonnulli in Deo incusando, nugæ consecretantur plane pueriles, dum quærunt, quid tandem sibi uolisset, quod non vnâ eandemq; naturam fabricatus sit, sed multa genera, varia, & natura repugnantia in lucem edi præcepit, vnde dispar morum nostrorum & voluntatum ratio profecta est, fuisset fortasse melius, tum ad morem Dei præceptis gerendum, tum ad accuratam illius comprehensionem, tum ad fidem cuiusque confirmandam, si omnes homines fuissent iisdem moribus & vitæ institutione præditi: Verum vt omnes iisdem moribus eademque indole imbuti fuissent, æquum putare est admodum planè ridiculum. Neque enim considerant, diuersam esse mundi & rerum in eo contentarum constitutionem. Nam quæ ad naturæ rationem pertinent, non eandem vim habent, cum his quæ ad mores: neque corporis perturbationes cum his, quæ animum commouent, eadem sunt. Neque tamen humanum genus diuinæ bonitatis expers est, neque omnino omnium, neque quorumlibet natura illius sit particeps, sed eorū, qui diuinam naturam, quique illud vitæ genus, quod rerum diuinarum facile primas tribuit sibi delegerunt.

*Quòd creata natura, immenso ab increata intervallo  
distat, & quòd propius accedit ad eam homo, si e-  
tatem in excolenda virtute traducat.*

*CAP. XIII.*

**E**A verò quæ ortum habent, cum æternis comparare, extremæ reuera infantiæ est. Horum enim neque principium est, neque finis: Illa utpote generata ortaq; cum initium, vt sint & viuant, tempore sumant, necessario & non sine causa finem habent. Ea autem, quæ generantur, cum eo  
qui

qui ipsa generari mandarit, quomodo ex æquo comparari possunt? Ac quanquam hæc cum illo conferre amentia est, mandatum tamen vt procrearentur, ei conuenienter poterit accommodari. Verùm ne cælestia quidem sunt cum eo conferenda. Quemadmodũ nec mundus iste sensibus subiectus cum illo, qui intelligentia percipitur, nec imagines cum exemplaribus, ad quorum similitudinem effinguntur, comparandæ. Verùm hæc omnium rerum confusio, quid est cur non videatur esse ridicula, cum diuini numinis maiestas ea, quæ est cum hominibus & bestiis, comparatione admodum obscuretur. Siquidem cupiditas principatus, qui Dei principatum exequet, quomodo non est hominum plane amentium, & à modesta præstantiõ; vitæ ratione, penitus auersorum? Quod si diuinæ fœlicitatis amore flagramus, vita ex Dei præcepto instituenda est. Sic enim, fato euitto, in domiciliis immortalibus, æternisquæ ætatem degemus, modum viuendi ex lege diuinitus descripta secuti: hæc est sola virtus in homine quæ Dei virtuti respondet, purus videlicet & syncerus in Deum cultus, eiusdemquæ diligens obseruantia, & contemplatio cognitioquæ; eorum, quæ summo omnium moderatori placeant. Nec mens nostra ad res caducas, terrenasquæ se inclinet. Sed quoad eius fieri potest ad excelsas sublimesquæ; se erigat. Isto enim vitæ instituto victoriam consequi, multis bonis, vt inquit ille, præponi debet. Causa igitur tantæ in rebus, tum dignitatis amplitudine, tum dissimilitudine virium discrepantiæ, hanc habet rationem, cui quidem qui prudentes sunt, libenter obsequuntur, & gratias agunt ingentes: Ingrati autem & stupidi, debitum suæ arrogantiaë supplicium ferunt.

*Quæ præcepta seruator tradiderit, & quàm mirandas  
patrauerit res, quantumquæ; illis commodi attulerit,  
qui se regendos illi submiserunt.*

CAP. XV.

**P**orro Dei filium omnes ad virtutem inuitare, magistrũ salutarium præceptorum sapientibus se iam pridem præbuisse pro certo cognoscimus, nisi forte nos nostri ipsorum obliti, præ vitiositate ignoramus, illum ad nostram vtilitatem, hoc est ad hominũ beatitudinẽ, terras aliquãdo perlu-

CONSTANTINI ORATIO

perlustrasse, & ex illis, qui id temporis hominum vitæ adiu-  
mento fuerunt, longè optimos aduocasse ad se, disciplina  
modestæ vitæ conseruatrice eos erudiuisse, fidem & iustitiã  
inuidiæ aduersari diaboli (cui in optatis est simplices &  
imperitos rerû inescare, & in fraudem inducere) repugnan-  
tem perdocuisse. Quapropter morbo vexatos clemens in-  
tuitus est: agrotos malis quibus vexabantur leuauit: ad ex-  
tremam paupertatem & inopiam reductis fuit solatio, pru-  
dentia modum cum ratione coniunctum vehementer ap-  
probauit: cuiusq; generis contumeliam, cuiusq; generis ig-  
nominiam & contemptum strenue & toleranter ferre præ-  
cepit, taleq; esse patris sui mandatum edocuit, vt casus om-  
nes, qui fortè acciderent, magno & excelso animo ferendo  
vincerent, hoc robur longè præstantissimum esse affirmauit,  
mentis nempe constantiam coniunctam cum sapientia, quæ  
nihil aliud est, quam veri boniq; cognitio: quæ assuefacit ho-  
mines, qui magnas diuitias habeant, easq; iuste partas, vt  
facultates, quæ ipsis suppetunt, liberali & quasi plena ma-  
nu egentioribus impertiant. Ille ipse etiam dominatum ve-  
tat, ostenditq; quòd sicut ipse ad modestos & humiles iu-  
uandos accessit, ita illis, qui modestos & humiles desertos  
esse patiuntur, deseret & ipse gratificari. Qui cum ad hunc  
modum periculum de fide populi, quos sibi habebat obse-  
quentes fecerit, eos non modo arduarum & terribilium re-  
rum contemptores, sed spei in ipso locatæ discipulos maxi-  
me ingenuos effecit, & vnũ ex amicis, qui admodum ces-  
sit iracundiæ verbis reprehendens coercuit, ille enim gla-  
diatorem quendam adortus, suam ipsius vitam, quo serua-  
tori opem ferret profunderè statuit, quem seruator animo  
quieto expectare, & gladium deponere iussit, grauitèq; co-  
arguit, quod esset ipsius perfugio præsidioq; dissusus: & legè  
perspicuè sanxit, eum qui violentas manus alteri inferre ag-  
grederetur, aut eum inuaderet, qui iniuriam facere gladiòue  
vti inciperet, violenta morte interiturũ. Hęc est cælestis pla-  
ne & diuina sapientia, vt pati potius velimus iniuriã, quam  
facere, & cũ necessitas postulet, damnum accipere, quam in-  
ferre parati simus. Cum enim iniuriam facere, grauisimum  
vitium sit, non qui eam patitur, sed qui infert, maximo affi-  
citur supplicio. Verũ ei integrum est, qui Deo præstat obse-  
quium

*Petrum  
intelligit*

*Mat. 26.*



quum, nec iniuriam facere, nec accipere, modo Dei confidat præsidio, qui illi adest, auxiliumq; fert, ne à quoquã qui ipsi obtemperet, afficiatur incommodo. At quo pacto poterit quis sibi ipsi opitulari, qui in Deo spem ponat? Ostendam equidem, erat inter duos prælium initum, & victoria anceps. Nemo igitur bene sanus incerta certis ante posuisset. Sed quomodo poterat qui fuisset tantas molestias & pericula expertus, de Dei præsentia & subsidio dubitare, cum semper rebus arduis Dei nutu & auxilio esset liberatus? qui etiam olim populo traijcienti mare mandato Domini ac seruatoris viam solidam per illud præbuerat, firme ad incedendum constratum, iter fecit. Hæc est planè, vt mea fert opinio, eximia fidei basis, hoc fundamentum fiduciæ, cū intelligamus istas res admirabiles, incredibilesq;, quæ gestæ, confectæq; sunt, Dei prouidentis mandato fieri. Hinc enim existit, vt cū quis in malorum discrimen incidat, spemq; in Deo positam firmam teneat & immutabilem, ob fidem non illum omnino pœniteat. Ac cum talis habitus animo infusus sit, Deus domicilium suum in interiore eius locat cogitatione. Hic nulla ratione expugnari potest: nec certe anima Deum qui vinci nequit, suæ cogitationis complexu cōtinens, à periculis, quæ forte circumuallant, omnino vinci poterit. Istud etiam experientia didicimus, nimirum ex Dei ipsius victoria omnibus sua prouidentia prospicientis, qui cum iniquè ab impiis contumelia esset affectus, nullum ex passione damnum contraxit, sed illustrissima victoriæ trophæa, & coronam æternam contra nequitiam egregie reportauit, & contracta profligataq; impiorum crudelitate, institutum suæ prouidentia & amoris, quo iustos complectitur, ad exitum præclare perduxit.

*Christi prænunciatus est à prophetis aduentus, ad simulachra scilicet delenda, ciuitatesq; quæ simulachra colebant.*

CAP. XVI.

**A**T qui passio illius, iam ante à prophetis prænunciata fuit, prænunciatus etiam eius ortus corporeus: prædictum tēpus incarnationis, & quo pacto nefaria iniuriæ & intemperantiæ germina rectè factis & moribus ex iustitia informatis labefactata interirent, mundusq; vniuersus prudentiæ

## CONSTANTINI ORATIO

dētia & modestiē particeps fieret, legisq; à seruatore sancitē imperio per omniū fere animos propagato, & pietas syncera roboraretur, & vana penit<sup>9</sup> deleretur superstitio. Cuius gratia nō solū animalium rationis expertiū cades factæ fuerūt, sed etiā homines ex sacrificati & nefanda plenaq; sceleris, altaria excogitata, idq; legibus Assyriorum, Aegyptiorūq;, qui statuis, vel ex are fufis, vel ex alia materia fabricatis, iustas piasq; animas victimarum loco maētarent. Proinde fructum dignum tali religione tulerunt. vt illud: Memphis vastabitur & Babylon, & Solitariae desertaq; ab incolis, vna cum diis patriis relinquetur. Atque ista non auditione accipiens dico, sed ipse praesens oculis aspexi, miserabilisq; fortunae istarum ciuitatum spectator fui. Moyses porro ex Dei mandato regionem Pharaonis per illud tempus potentissimi labefactauit. Quem insolentia elatum perfregit, & exercitum eius plurimarum fortissimarūq; gentium victorem praesidiis munitum, armisq; instructum, non coniectione telorum, non iaculorum ictu, sed sola precatione, & obtestatione supplici deleuit.

*De Moysis sapientia, quam extranei quoque sapientium admirati, tum imitati sunt, & de Daniele, & de tribus pueris.*

### C A P. X V I I.

**N**Vllus autem illo populo beatior, vel fuit aliquando, vel iam esset, si non animos suos à spiritu sancto, tanquam abdicatione quadam abalienauisset. At quid de Moysē pro dignitate satis dici potest? Qui populum confusione quadam turbatum, in ordinē redegit: qui leui persuasionē & modestia eorum animos tranquillauit: qui illis pro seruitute libertatem reddidit, qui pro mœstitia lætitiā attulit, qui eousque eorum sensim prouexit animos, vt illi ipsi graui admodum in contrariam partem facta imitatione, & prospero rerum præclare gestarum euentu, superbe & insolenter se efferrent: qui etiam tantū illis, qui ipsum ætate anteerant sapientia præstitit, vt sapientes & philosophi à Gentilibus plurimum prædicati, eius sapientiæ æmuli & imitato res existerent. Pythagoras enim eius sapientiam imitatus, vsque eo propter modestiam omnium sermone cele-

celebrabatur, vt Platoni homini plane modestissimo eius continentia, tanquam exemplar ad imitationem proponeretur. Daniel porro qui futura vaticinatus est, eximia in primis magnanimitatis officium sedulo obiens, moribus & totius vitæ præstantia excellens, quantum & quàm asperum laborem exantlauerit, iussu Tyranni (cui nomen erat Nabuchodonosor) tum Syriæ imperium obtinentis? Cuius quidem stirpe deleta, augusta illa & ingens potestas ditioq; ad Persas delapsa peruenit. Tyranni illius opes, & importunum nefariæ religionis studium, vsque ad hoc tempus famæ celebritate peruagata sunt. Adde huc metallorum cuiusque generis ad deos ornandos magnificentiam, templorum fastigia ad immensam altitudinem erecta, detestabiles religionis leges ad crudelitatem institutas. Quæ omnia Daniel, propter integram & inuiolatam erga verum Deum pietatem, contemnens, importunum Tyranni studium, grauis cuiusdam cladis causam fore diuinavit. Verum ne utique tyranno persuasit. Ingens enim diuitiarum affluentia erat impedimento, quo minus ad meliorem mentem rediret. Quippe princeps iste tandem feram illius mentis immanitatem, dum iustum virum bestiis ferocibus dilaniandum tradi iubebat, perspicue patefecit. Quid item de generosa fratrum, quos posteri imitati, fidem Christi seruato ad summam gloriam extulerunt, in martyrio subeundo consensione dicam: Qui in ignis incendio, in fornace ardente, inque suppliciis aliis ad membra exedenda paratis, illæsi extiterunt, castoque corporum obiectu, rogi flammam in fornace circumiectas ab se depulerunt. Daniel autem postquam Assyriorum regnum fulminum iactu excisum ad nihilum venerat, diuina prouidentia ad Cambysem Persarum regem delatus est. At inuidia illic etiam eum est infectata, cui accesserunt perniciosæ magorum insidiæ. Quinetiam pericula magna multaq; secuta sunt, Ex quibus omnibus Christi prouidentia opem ferente liberatus, propter spectatam cuiusque generis virtutem, facile primas obtinuit. Nam magi eum ter in dies singulos preces fundentem, magnaque, egregia, & memorabilia edentem facinora, propter crebram precationum exercitationem in crimine vocare. Tantam eius vim virtutemq; admodum periculosam

Tres pueri.

## CONSTANTINI ORATIO

esse, apud principem calumniari, eiq; persuadere cœperunt, ut idem ille, qui in commune Persis tot tantorumque bonorum author fuisset, feris leonibus pro pastu obijciendus condemnaretur. Quare Daniel non ad interitum condemnatus, sed ad perpetuam famæ ac nominis sui celebritatem in lacum conclusus fuit: qui cum inter medias bestias versaretur, eas leniores mansuetioresq;, quàm qui illum ibi cõclusissent, comperit. Nam omnes illas natura sua rabidas precatione quæ mansuetudini & modestiæ suæ subsidio fuit, cicures ac mites effecit. De quibus cum Cambyfes certior factus esset (non enim poterat fieri, ut tantæ tamque diuinæ virtutis præclare res gestæ in obscuro laterent) eorum quæ nunciabantur, sicut admiratione plane obstupuit, ita eum pœnituit, maleuolis magorum calumniis tam facile persuasum. Veruntamen illud spectaculum ipse suis oculis conspici voluit: qui cum virum, vtraque manu cælum versus sublata, Christum laude celebrare, & leones substractos, hominis vestigia quodâ modo venerari cerneret: confestim magos qui ipsi persuasissent, eidem addixit supplicio, & in speluncam leonum compegit. Bestiæ autem, quæ paulo ante Danieli blanditiæ fuissent, magos adortæ, eos totos, sicut earum natura fert, deuorarunt.

*De Sybilla Erythræa, quæ in fatidicorum carminum suorum acrostichide, hoc est, primis cuiusque carminis elementis, Christi passionem exprimit, est autem acrostichis, Iesus Christus Dei filius seruator cruz.*

### CAP. XVIII.

**O**ccurrit etiam in hoc loco ad commemorandum, testimoniũ quoddam de Christi diuinitate, ab illis, qui à fide nostra alieni sunt petitum. Nam illi qui ei tam contumeliose obtrectant, si vel suis ipsorum testimoniis fidem tribuere voluerint, ex iisdem fatis poterunt intelligere, illum & Deum, & Dei filium esse. Sybilla enim Erythræa, quæ se sexta post diluuium ætate fuisse affirmat, Quæq; sacerdos erat Appollinis: corona similiter cum Deo illo, quæ colebat, redimita: quæ etiam tripodem serpentis amplexu circumplicatum, obseruans, iis qui quicquam ab ipsa sciscitabantur, respondit se parentum incertitia illi cultui dicatam fuisse,

fuisse, quem cultum nihil in se complecti, quod ad honestatem faceret, sed hominum animos pudore spoliare, non aliter atque historici de Daphne prodiderunt, hæc inquam Sybilla quodam tempore intra adyta illa, in quibus tam absurda & plane inepta superstitione usurpari solet, conclusa, & diuino quodam instinctu afflata, versibus ea, quæ erant de Deo futura prædixit, notisq; & ordine primarum literarum quæ

Cic. in 2<sup>o</sup>  
de diuina  
natione:

Ἰησοῦ Χριστοῦ dicitur, historiam de Iesu aduentu declarauit. **ἸΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ** hæc quidem est, **IESVS CHRISTVS DEI FILIVS** SERVATOR CRVX. Eius autem carmina infra scripsimus.

*I*udicis aduentu magni sudore videbis  
*E*manare solum? Tunc rex æternus ab arce  
*I*sydereæ præsens carni ius dicet, & orbi  
*V*t spectare Deum pia gens, atque impia possit,  
*S*ublimem carne humana sancta q; caterua  
*C*inctum, supremo q; homines, qui iudicet æuo,  
*H*æc erit omnis humus vepres & tristis arena,  
*R*escindent simulachra homines aurum q; repellent,  
*I*ncendent q; auida terram, mare, sidera, flammæ.  
*S*tabunt sanctorum sub apertum corpora lumen,  
*T*erra q; mens, & sancta illo splendore patebit.  
*V*oce latens facinus, quod gessit quisque loquetur,  
*S*ubdola q; humani pendentur pectoris antra.  
*D*ira mali facies, pavor vndique et vndique luctus;  
*E*t iubar inuoluent solis, stellas q; tenebræ.  
*I*am vaga labetur Phœbe, ruet arduus æther.  
*F*erre caput valles, disiectis alpibus, imas  
*I*usserit: humanum culmen fastus q; iacebit.  
*L*ata q; planities montes æquabit, & altum  
*I*ntactum rate stabit, & vrent fulmina terras:  
*V*na deficiet, flagrans cum fontibus amnis.  
*S*tridula de calot uba fundet lugubre murmur,

## CONSTANTINI ORATIO

**S**upremumq; orbi canet exitiabile carmen  
**E**t subito Stygium chaos apparebit hiatu,  
**R**egnantumq; Dei celebrabit turba tribunal.  
**V**ndaq; sulphurea fluet alto ex æthere flamma,  
**A**fflabit mortale genus insigne coruscans,  
**T**rabs sancta in rectis animis optabile robur  
**O**mnibus vna pijs vitæ melioris origo:  
**R**ursus vesani dolor atque offensio mundi.  
**C**ollustrans vndis duodeno in fonte fideles.  
**R**egnabit latè pascentis ferrea virga  
**V**nus & æternus Deus hic seruator & idem,  
**X**ristus pro nobis passus quem carmina signant.

Atque ista in virginis animum diuinitus plane illabebatur ad prædicendû. Eam igitur ego Beatâ puto, quam Seruator vatem, ad diuinandû de sua in nos prouidentia, delegi.

*Quòd vaticinatio de Christo, à nullo illorum qui in ecclesiasticorum numero censentur, conficta sit, sed Erythrææ Sibyllæ reuera existat, cuius libros Cicero ante aduentum Christi, in Romanam linguam conuertit, cuius etiam Virgilius meminit, et partus virginii, sub enigmate arcanisq; verbis propter principum metum, mysterium celebrans.*      **CAP. XIX.**

**V**erum multi sunt, qui nullam fidem ei adiungunt, idq; cum fateantur, Sybillam vatem Erythræam extitisse: Imo verò suspicantur nostræ religionis professorem, poetica non ignarum, ista carmina contexuisse, falsoq; inscripta esse, & inter Sybillæ oracula numerata: quæ sanè sententias perquam vtilis, cum ad nimiam voluptum licentiam circuncidendam, tum ad adytum recta ad temperantem, modestamq; vitam perducentem, aperiendum continent. Verum de huius rei veritate satis constat: quippe nostri homines, tempora adeo accurate & magno studio collegerunt, ut nemo possit suspicari, hoc poema post Christi in terras descensum editum fuisse, atq; illi propterea mendacij perspicuè conuincuntur, qui ista carmina non olim à Sybilla condita esse prædicant. Perpicuum enim est Ciceronem, istud

istud poema cum forte perlegisset in latinū conuertisse sermonem, suisq; scriptis attexuisse, quem ab Antonio rerum summa potito interfectum constat: Antonium autem ab Augusto, qui quinquaginta sex annos regnavit, superatum, Augusto item successisse Tyberium, cuius temporibus feruatoris aduentus mundo illuxit, & sanctissimæ religionis mysterium vigere cœpit, & noua secuta est populi propagatio. De qua arbitror eum, qui ex poetis Italorum est facile præstantissimus, ita cecinisse.

*Virgilii Maronis alia de Christo carmina, in quibus ostenditur per inuolucra quædam ac integumenta (væ poetis mos est) mysteriū enodatum. CAP. XX.*

**I**AM noua progenies cælo demittitur alto.

Et iterum in alio Bucolicorum libro,  
*Sicelides musæ paulo maiora canamus.*

Quid isto apertius? Addit enim. *Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.* Cumæã vult plane Sybillam esse. Neque his contentus erat ille quidem, sed progressus est longius, adeo vt eius vti testimonio necessitas postulare videatur. Quid igitur dicit?

*Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.*

*Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.*

Quid ergo? Quæ est illa virgo quæ rediit? An nõ quæ plena & grauida facta est è spiritu sancto? Et quid obstat? quo minus puella hæc grauida è spiritu Dei, virgo maneat perpetuò? Reuertetur etiam Dominus ipse, qui virgo est, Secūdo, & orbem afflictum aduentu suo leuabit. Adiungit item poeta.

*Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum*

*Desinet, ac toto surget gens aurea mundo*

*Castà lucina faue.*

*Hoc duce, si quæ manent sceleris vestigia nostri,*

*Irrita perpetua soluent formidine terras.*

Perspicuè igitur possumus intelligere etiam hæc, quæ dicta sunt, per allegoriam occultè his, qui vim verborum altius perquirunt, Christi diuinitatem sub aspectu subijcere:

## CONSTANTINI ORATIO

Ac poetam ne quis princeps in ciuitate, quæ caput imperij est, ipsi quòd contra patrias leges scripisset, quodq; maiorum instituta olim de diis sancita reiecisset, crimini dare posset, veritatem tanquam inuolucris quibusdam texisse. Vidit enim credo, beatum & eximium aduentus seruatoris mysterium. Verum vt immanem euitaret crudelitatem mentes audientium ad suam ipsorum consuetudinem traduxit: Aitq; nouæ proli aras extruendas esse, templa apparanda, sacrificia obeunda. Ea igitur, quæ sequuntur apte ad prudentium intelligentiam inducit. Ait enim:

*Ille deum vitam accipiet, diuisq; videbit*

*Permistos heroas, & ipse videbitur illis: vix iustis*

*Pacatumq; reget patrius virtutibus orbem.*

*At tibi prima puer nullo munuscula cultu*

*Errantes hederas passim cum baccare tellus,*

*Mistaq; ridenti collocasia fundet achantho.*

Vir admirabilis & omni doctrina eximie ornatus, accurate illorum temporum perspiciens crudelitatem.

*Ipsa lacte domum (inquit) referent distenta capellæ*

*Vbera, nec magnos metuent armenta leones.*

Vera plane sunt quæ dicit. Nam regiæ aulæ principes fides non extimescet.

*Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.*

*Occidet & serpens, & fallax herba veneni*

*Occidet: Assyrium vulgo nascetur amomum.*

His certe nec verius quicquam, nec ad seruatoris virtutem aptius dici poterit. Ipsa enim Dei cunabula spiritus sancti virtute fragrantem flores nouæ soboli extulerunt. Serpens verò, à quo primi nostri parentes primum in fraudem impulsus, & mentes eorum à temperantia naturaliter ipsis insita ad voluptatum blanditias tractæ erant, vt interitum ipsorum ceruicibus impendentem plane perspicerent, omnino periit, & venenum eius pariter sublatum est. Quippe vt ante seruatoris descensum, ignoratio immortalitatis, quæ iustis tribuitur, animos hominum nulla spe bona adhuc confirmatos penitus fregit: Sic cum ille passus fuisset, & corpus quo



quo circūdabatur, esset à spiritus sancti communione ad tē-  
pus separatum, resurrectionis vis hominibus patefacta fuit:  
& si quæ labes humanorum scelerum residebat, illa vniuer-  
sa sacro baptismatis lauacro absterfa. Tunc igitur illos, qui  
ipsi parebant, bono animo esse iussit, & veneranda sua, exi-  
miaq; resurrectione admonitos, similia sperare mandauit.  
Itaque non sine causa fallax herba veneni occidit: occidit  
etiam & mors: resurrectio autem tanquam sigillo confirma-  
ta est. Cum autem dicit Assyrium amomum, vbique nasci  
Assyriorum genus, quòd fidei diuinę causa fuit, multitudi-  
nemq; hominum Deum religiose colentium innuit. Quæ  
plane non aliter, quàm densa ramorum velut multitudo ex  
vna radice odoriferis floribus pullulat, ex æquabili roris té-  
peratione rigata efflorescit. Eruditè igitur ô sapientissime  
poeta Maro dixisti, & quæ sequuntur omnia his apte re-  
spondent.

*At simul Heroum laudes & facta parentis*

*Iam legere, & quæ sit poterit cognoscere virtus.*

Per Heroum laudes, iustorum hominum rectè facta signi-  
ficat: per virtutem patris, mundi fabricam, & molitionē Dei  
ad æternum tempus duraturam intelligit. Fortasse etiam le-  
ges, quibus sacrosancta ecclesia vitur, dum vitam humanā  
ex iustitiæ & temperantię regula instruit. Est præterea illud  
summe mirandum, quo pacto homines, quorum vita quasi  
media inter bonorū malorumq; vitam interiecta est, quæq;  
subitam repentinamq; mutationem nequitiam admittit, ab  
eo rudi mediocriq; vitæ genere ad cæleste ac diuinū, quod  
in rebus mente sola comprehensis positum est, ascenderint.

*Molli paulatim flauescet campus arista.*

Hoc est, fructus diuinæ legis ad hominū vsum producet.

*Incultisq; rubens pendebit sentibus vna.*

Id est, mores qui non erant impia viuēdi ratione deprauati.

*Et duræ quercus sudabunt roscida mella.*

Inscitiam hominum illius temporis, & rudes impolito-  
que mores describit. Ac fortasse etiam eos, qui labores à  
Deo exantlatos audiant, suauem quendam fructum ex sua  
ipforum in arduis rebus tolerantia percepturos demon-  
strat.

CONSTANTINI ORATIO

*Pauca tamen suberunt prisca vestigia fraudis,  
Quæ tentare thetin ratibus, quæ cingere muris  
Oppida, quæ iubeant telluri insindere sulcos  
Alter erit Typhis, & altera quæ vehat argo.  
Delectos Heroas, erunt etiam altera bella.*

*Atq; iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.*

Scite quidem ô poeta sapientissime, poeticam enim facultatem, non extra decori fines prouexisti. Nam tibi cum non esses propheta, vaticinari non erat propositum. Obstabat etiam credo, periculum quoddam quod ipsorum capitibus imminet, qui patria insituta coarguunt. Proinde igitur & absque periculo, quoad eius fieri poterat, his qui intelligentiæ acumine valent, veritatem aperuit, ac turres & bella criminatus (quæ certe iam in hominum vita cernuntur) Seruatorem ad bellum Troianum proficiscentem depingit; per Troiam, mundum vniuersum intelligit. Nam & prouidentia propria, & patris iussu in terram demissus, ex aduerso cum improba hostium manu dimicauit. Sed quid postea dicit Poeta?

*Hinc vbi iam firmata virum te fecerit ætas.*

Hoc est vbi adoleuerit, malis quæ vitam humanam occupant, radicitus extirpatis, totam terram pacis ornamentis decorabit.

*Cedet & ipse mari victor, nec nautica pinus  
Mutabit merces, omnis fert omnia tellus,  
Non rastros patietur humus, non vinea falcem,  
Nec varios discet mentiri lana colores.*

*Sponte sua Sandyx pascentes vestiet agnos.*

*Aggredere ô magnos aderit iam tempus honores,  
Chara Deum soboles magnum Iouis incrementum,  
Aspice conuexo nutantem pondere mundum.*

*Terrasq; tractusq; maris, cælumq; profundum,  
Aspice, venturo latentur vt omnia seculo.*

*O mihi tam longe maneat pars vltima vite,  
Spiritus & quantum sat erit, tua dicere facta.*

Non

*Non me carminibus vincet, nec Thracius Orpheus,  
Nec Linus, huic mater quāuis, atque huic pater adsit.  
Pan etiam arcadia mecum si iudice certet,  
Pan etiam arcadia dicat se iudice victum.*

Aspice, inquit, immensi orbis, & omnium elementorum hilaritatem. Ista aliquis forte parum prudens, de hominum ortu ac stirpe dici existimauerit. Verum quam rationem habere potuerit, vt prole hominis fatu edita, terra non rastros, non aratra passura esset, nec vitem falcis aciem, nec alium cultum desideratura? Aut quo pacto hoc, quod dicitur, in humana sobole ac stirpe intelligitur? Est enim natura diuini scilicet mandati quasi famula, non humani præcepti ministra. Quinetiam hilaris elementorum aspectus, Dei descensum, non hominis alicuius conceptionē indicat: Quod autem poeta vitæ exitum sibi longius propagari optet, est diuini plane aduentus inuocatio: A Deo enim non ab homine vitam, conseruationemque petere consueuimus. Erythræa etiam cum Deo sic loquitur: quod mihi, domine diuinandi necessitatem imponis, ac non potius è terra in sublime sublatam, ad diem vsque sanctissimi aduentus tui referuas? Maro item præter illa, quæ sunt iam citata, hæc affert.

*Incipe parue puer risu cognoscere matrem,  
Matri longa decem tulerint fastidia menses.  
Incipe parue puer: cui non risere parentes,  
Nec Deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.*

*Quòd ista dici nequaquam poterant ab eo qui tantummodo homo esset, & quòd infideles ob diuini cultus ignorantiam, ne suum ipsorum quidem ortum intelligunt.* CAP. XXI.

Quomodo enim huic non risere parentes? Quia ille qui est eius parens, est vis quædam expers qualitatis: & licet figuræ sit expers, in aliarum tamen rerum descriptione cernitur, idque humano corpore vacans. Vacare etiam cubili spiritum sanctum quis ignorat? Quæ tandem cupiditas, quod desiderium ei in bono expetendo adest,

S s 5 cuius

## CONSTANTINI ORATIO

cuius amore inflammantur omnia? At quid sapientiæ eum voluptate commune? Verum ista illis ad loquendum permittantur, qui humanam quandam Dei procreationem inducunt, quiq; animum suum omni turpis facinoris, & conuicij macula purgare minime elaborant. Te ô pietas inuoco, tuum auxilium in his, quæ dicuntur, imploro: quæ quidem & legem quandam sacram castamq; perscribis, & optatissimam omnium bonorum spem, quæ est sanctissimæ immortalitatis magistra, & vera certaq; promissio, ostentans. Te ô pietas vna cum clementia adoro. Tibi pro tuis subsidiis nos, qui his eguimus, gratias debemus immortales. Temeraria multitudo tui auxilii ignara, propter odium innatum, quo incenditur aduersum te etiam Deum ipsum detestatur. Omnino enim nec vitæ suæ causam, nec se, nec reliquos impios, ex officio & cultu Deo opt. max. debito pendere agnoscit. Totus enim orbis & omnia quæ eius ambitu continentur, sunt illius possessio.

*Gratias agit Deo, victorias, & prosperã in reliquis rebus imperatoris fortunam cõmemorans, inuehensq; in Maximinum tunc temporis tyrãnum, qui per persecutionis atrocitatem, maiore gloria pietatem illustrauerat.*

CAP. XXII.

**E**GO certè & prosperam meam fortunam, & meas res omnes pietati acceptas refero. Testis est etiam rerum omnium ex animi sententia euentus. Testes sunt præclara facinora: Testes victoriæ contra hostes & trophæa. Iuxta mecum hæc nouit, & cum laude propterea Deum celebrat, illustris & eximia ciuitas Roma. Assentitur item populus vrbis mihi charissimæ, licet falsa spe deceptus, principem se indignum delegerit: qui quidè extemplo pro sceleribus ab ipso admisis, iustas debitasq; pœnas persoluit. Quæ certe cõmemorare non est integrum, mihi præsertim qui apud te, ô pietas, dissero, omniq; studio & industria incumbo, quo pacto te verbis castis decorisq; affari queam. Dicam tamen fortassis aliquid (ô pietas) quod nec turpitudinis, nec indecori quicquam in se complectitur, furore tamen & crudelitate redundans. Cum bellum peltiferum contra omnes sanctissimas tuas ecclesias, à tyrannis excitaretur,

retur, & nonnulli in vrbe Roma, se tantis malis & tam insigniter improbis oblectare non desisterent, campusq; esset ad pugnam præstitutus, tu in medium progressa teipsam fide in Deum roboratam munitamque, aduersariis opposuisti. Mortalium verò impietate nobilitatorum crudelitas, velut ignis, rapide omnia absque intermissione depascens, admirabile glorię decus & omnino eximiū tibi apportauit. Ac propterea ipsos spectatores permagna cepit admiratio, cum videre liceret lictores, & eos qui piorum corpora torquebant, in irrogandis supplicijs fessos languere, grauiterque diuexari, vincula etiam resolui, cruciatus ipsos retūdi, & incendiū flammam circumiectas restingui: & constantem ac liberam confessionem, ne vel ad exiguum temporis spatium à sanctis remitti. Quid ergo cum ista moliebaris o scelestissime, profecisti? Quæ causa quæso, te ex mentis statu deturbauit? Dixeris fortasse, propter deorum honorem: at quorum quæso? aut quam cogitationem dignam diuina natura suscepisti? deos ne more tuo iracundos putabas? Quod si tales fuissent, oportuerat potius eorum institutum admirari, quàm impudentibus importunisque mandatis illorum, qui iustorum hominum cædes iniuste fieri suadebant, morem gerere. At dixeris forsitan, te ob maiorum instituta, hominumque existimationem hæc aggressum. Assentior equidem, nam instituta illa & similia sunt illis qui ea sancierint, & vnam eandemque declarant inscitiam. At forsitan singularem quandam vim in statu ad humanam effigiem à fabris & architectis fabricatis inesse censebas: ac propterea istas res accurabas, omni studio adhibito, ne simulachra deorum maximorum præstantissimorumque, humana ope & curatione egentium, turpi labe aliquando contaminarentur.

*De institutione vitæ Christianorum, & quòd Deus delectatur iis qui viuendo virtutem exprimunt, quodq; iudicium et retributionē expectari oportet.*

## CAP. XXIII.

**A**T nostrā religionē amabo te cū vestris institutis accurate cōparando expende, An non hic vera & germana con-

## CONSTANTINI ORATIO

concordia? an non perpetua benignitas? an non errati reprehensio, quæ admonitionem adhibet non ad perniciem, sed ad curationem, non ad crudelitatem, sed ad salutem, sinceramque fidem, primum erga Deum, deinde erga hominum, quam natura deuincit societatem? Huc accedit misericordia in eos, quos aduersus fortunæ casus oppugnauerit: vita simplex sinceraque, nullo versutiæ fuce improbitatem obtegens. Veri etiam Dei, & vnius principatus agnitio, an non hic satis apparet? hæc est vera pietas, hæc integra inuiolataque omnino religio: hæc vita modesta, quam qui sequuntur, tanquam regiam quandam & frequentatam viam insistentes, ad æternam vitam recta proficiscuntur.

Nemo enim omnino moritur, qui talem instet viuendi viam, sed animum corporis contagione ac sordibus exuens, potius munus obit à Deo sibi impositum, quam mortem optet. Qui namque Deum ingenuè confitetur, non contumeliæ, non iracundiæ sponte succumbit, sed generoso animo necessitatem subiens, tolerantia suæ periclitationem habet, tanquam subsidium sui ipsius erga Deum amoris & beneuolentiæ, neque enim dubium est id quidem, quin Deus hominum virtutem probitatemque lubens amplectetur.

Etenim videretur plane absurdissimū, Si qui omnibus præstet, princepsque omnium, atque adeo bonum ipsum sit, reddere beneficium negligeret, cum homines, quibus non satis suppetunt facultatum, qui que paulo egentiores sint, grato & beneuolo animo, gratiam referre, beneficiaque compensare velint, etiamsi illi, qui ipsis gratificati sunt, de ea re minime laborare videantur. Atque illud quod dixi bonum, nos per totum vitæ cursum comitatur: nobisque tum præsto est, cum aliquid boni agimus. Et quanquam Deus nos fortitudinis & propensæ voluntatis causa approbans, extemplo quidem nos aliquo compensat beneficio, tamen cumulatam illam nostri remunerationem in aliud tempus differt. Tunc enim de vniuerso vitæ modo ratio erit inita subductaque. Quod si vitæ modus rectè se habuerit, æterna vitæ merces consequitur: improbos autem debitum supplicium exagitat.

*De Decij*

*De Decii Valeriani & Aureliani contra Christianos  
insultatione, qui se in miserrimum vitæ finem con-  
iecerunt, propter ecclesiæ persecutionem.*

## CAP. XXIII.

**A**BS te iam Deci, sciscitari volo, qui aliquando iustorū laborem infectatus es, qui ecclesiam odio habuisti, qui pœnam piè sancteq; vitam degentibus irrogasti, quid doloris iam post hanc vitam patras? imo vero quibus & quàm acerbis calamitatibus ipse quasi irretitus teneris? Tuam porro infelicem & miseram conditionem satis declarauit, illud temporis interuallum, tanquam inter vitam & mortem interpositum, cum ipse in agris scythicis vnà cum omnibus copiis prostratus, imperium Romanum omnium ore celebratum Getis ludibrio & despectui obiecisti. Quin tu Valeriane, eandem crudelitatem in Dei famulos ostendens, iustum sanctumq; Dei iudicium quasi ante oculos omnium statuisti, dum captiuus præhensus eras, & vinctus ducebaris, purpura, & reliquo apparatu regio indutus. Tandem à Sapore rege Persarum iussus excoriari, saleq; conditus, sempiternum tui infortunij trophæum ante omnium oculos statuisti. Tu etiam Aureliane omnium scelerum incendium, cum in Thraciam quasi aperto Marte & insanæ mentis impetu ferebaris, in media via cæsus, orbitas in via impressas impio cruore compleuisti.

*De Diocletiano, cuius regia postquam imperium cum  
dedecore deposuisset, propter ecclesiæ diuexationem,  
ab ictu fulminis conflagrauit.*

## CAP. XXV.

**D**iocletianus quoque cum post cruentam cædem in persecutione factam, ipse contra se quodammo- do, propter vitium amentix, & delirationis, suffragium tulisset, se vnus abiectæ & humilis mansionis muniti- onis ac præsidio concredens, pœnas dedit. Quid ergo huic profuit, bellum contra Deum nostrum concitasse? Vt certe, mea quidem sententia, reliquam vitæ partem miserè transigerent, dum sibi semper metueret male, ne fulminis iactu concideret. Ista loquitur Nicomedia: non tacent  
etiam

## CONSTANTINI ORATIO

etiam qui eadem oculis viderunt: ex quorum numero ipse equidem sum. Palatium eius & domus sane, fulmine eam depascente, faceque caelesti exedente vastata fuit. Quas res ita euenturas sapientes plane praedixerant, neque enim siluerunt, neque mororem pro sceleribus tam inique contra Christianos admisis, susceptum simulatione occultarunt: sed perspicue ac palam ipsi inter se liberè de iisdem disseruerunt: quis talis furor, quae plane principatus insolentia, ut homines cum sint, audeant tamen Deum bello laceffere, inque religionem sanctissimam iustissimamque, vesano animo insultare, & tam infinitae populi hominumque, iustorum multitudinini, nulla causa antecedente, exitium moliri? O praclarum modestique, qua omnes subiecti erudiantur praepceptorem, o magistrum prouidentiae quam exercitus erga ciues suos habere debeat: pectora tribulum suorum vulnerarunt, hi qui ne terga quidem hostium vnquam in acie aspexissent. Ad extremum igitur impiorum facinorum scelus, non tamen absque damno publico diuina vltima est prouidentia: Tot plane factae sunt caedes: quot quidem, si in barbaros factae fuissent, satis multae ad aeternam pacem constituendam videri potuissent. Totus imperatoris, quem supra dixi, exercitus, cum ditioni cuiusdam ignobilis & abiecti hominis imperium Romanum vi rapientis subiectus esset, multis & variis praeliis cuiusque generis diuina prouidentia, orbem praclarissimam in libertatem vindicante, penitus dissipatus & exhaustus est. Atqui voces oppressorum, & libertatem naturaliter insitam appetentium, quinetiam laudes in gratias Deo pro libertate & communione vitae, coniuncta cum iustitia, illis reddita, agendis, quid est cur non omnibus modis Dei prouidentiam & singularem eius erga homines amorem insigniter ob oculos omnium ponant?

*Quod imperatori pietatis causa Deus fuerit, quodque ut recte res administremus, ad eum confugere oportet, easque ipsi acceptas ferre. quicquid autem peccatum fuerit, id omne nostrae cessationi imputare.*

### CAPVT XXVI.

**Q**uando autem meam administrationem, quae diuino afflatu sumpsit initium, laudant, an non Deum meorum rectè



AD SANCTORVM COETVM. 326

rectè præclareq; factorum authorem confirmant, Maximè certè. Est enim propriū Dei munus, obire quæ optima sunt, hominum autem, Deo obtemperare. Est præterea, credo, ministerium pulcherrimum præstantissimumq;, vt quis antequam res aggrediatur, ita se præparet, vt res agendas possit cum securitate transigere. Ac nemini porro obscurum est, sanctissimum manuum ad cælos sublatarum cultum cum fide pura & syncerâ coniunctum, Deo deberi & precibus observationibusque, quæ manibus eleuatis fiunt, omnia quæ ad hominum commoda efficiuntur, rectè geri: tantumq; emolumentum inde, & ad priuatum, & ad communem vsum apportari, quantum quisq; sibi, suisq; charissimis optauerit. Pugnas viderunt Gentiles, bellum conspicati sunt, prouidentia Dei victoriam populo suo largiente: animaduertunt etiam Deum, precationum nostrarum virtute, nobis opem tulisse. Est enim iusta precatio, res plane inexpugnabilis: ac nemo sancte religioseque precatur, qui non idem quod est in optatis assequatur. Nec mundus aliquando repulsam fert, nisi solum cum fidei vacillet constantia. Deus enim hominum probitatem amplectens, semper illi præsto largitur misericordiam. Humanum videtur aliquando errare: at in humanis erroribus Deus est omnino expers culpæ. Quare par est, omnes, qui pietatem sectamur, nostræ ipsorum salutis, & rerum publicarum prosperitatis causa, seruatori gratias agere, & Christum sanctis precibus atque orationibus crebris, nobis placatum efficere, vt beneficia eius in nos conferre non desinat. Iste enim est iustorum de-

fenfor inuictus, iste propugnator fortissimus:

Iste opt. iudex, ilte deniq; immortalitatis dux, & vitæ æternæ largitor.

*FINIS. Sit Deo gloria.*